

Nechutová, Jana; Rösslerová, Magda

Augustinus Olomucensis Tractatus de secta Valdensium

Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. E, Řada archeologicko-klasická. 1985, vol. 34, iss. E30, pp. 133-147

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/109767>

Access Date: 02. 12. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

EDIDERUNT JANA NECHUTOVÁ — MAGDA RÖSSLEROVÁ

AUGUSTINUS OLOMUCENSIS TRACTATUS DE SECTA VALDENSIUM

PRAEFATIO

Augustinus Olomucensis (1467—1513) praecipuus et insignis humanitati artibusque in Moravia colendis fautor saec. 15.—16. extitit. Vita operaque eius in Enchiridio „*Rukověť humanistického básnictví v Čechách a na Moravě*“ (t. I., Pragae 1966, pp. 111 seqq.) satis illustrantur, unde videmus hunc virum litteratum non solum studiis humanitatis renascendae operam navasse, sed etiam in certaminibus contentionibusque sententiarum inter catholicae ecclesiae dogma et disciplinam Unitatis fratrum Bohemorum — hussitarum heredis — in partem venisse. Libris eius, in quibus disciplinae Fratrum operam dat, Tractatum de secta Valdensium excepimus, quem et paginis sequentibus edendum curavimus. Hac epistula, die 3. m. Iunii anno 1500 Johanni Nigro (Jan Černý) medico data eum admonens, ne membris Unitatis fratrum faveat adhaereatque, aliquot reformationis Bohemicae sententiae principales refutantur, quarum nonnullae olim et in quattuor illis articulis, qui Pragenses dicuntur, locum invenerant, easque veri simile est ad reformationem Bohemicam de haeresi valdensium defluxisse: 1. verbum Dei a laicis praedicatum, 2. successio apostolica ecclesiae Romanae, cultus sanctorum imaginumque, 3. ordines ecclesiastici, iusta possessio temporalium a clericis, clerus subditis iudicandus, 4. suffragia sanctorum purgatoriique poenae. Certamen hoc posterius continuatum in libris collectis anno 1512 Lipsiae editis (*Enchiridion*, 1. c. p. 114 sub anno 1512) inveniri potest, qua in collectione et Tractatum nostrum denuo legimus, cum editio princeps, liber scilicet, Tractatum tantum continens, eodem anno 1500, quo est Tractatus scriptus, in Olomouc apud Conradum Baumgarten impressa sit (*Enchiridion*, 1. c. p. 113—114 sub anno 1500).

Editioni huic nostrae fundamentum incunabula anno 1500 impressa posuimus, cuius ad lectiones paucis locis emendandas hinc et inde textu altero, de collectione videlicet anno 1512 data exempto, usae sumus.

(Libros doctos commentationesque recentes, de contentione hac certamineque sententiarum supra dicto disserentes, vide *Enchiridion*, 1. c. p. 114)

Sigla:

1500 = editio princeps, *Enchiridion*, l. c. p. 113—114 sub anno 1500, GW 3 061, exemplar Brno, SA G 21 St III-470 adl.

1512 = editio posterior de libris collectis exempta, *Enchiridion*, l. c. p. 114 sub anno 1512, exemplar Brno, SA G 21 St II 198

AUGUSTINUS DE OLOMUNC ARCIUM ET DECRETORUM DOCTOR AD ERUDITUM VIRUM MAGISTRUM JOHANNEM NIGRUM PHISICUM

TRACTATUS DE SECTA WALDENSIUM

5 Et primo, quod predicacionis officium non omnibus passim sit in ecclesia permissum.

Nuper per Prostanum iter agens cum in suburbanis constitissem multasque illic domos recens erectas exedificatasque mirarer, astancium quandam percontari cepi, quinam hi essent, qui tam numerosam structuram ita brevi, ut
10 videre potui, tempore struxissent. „Waldenses fratres, quos vulgo Pickardos vocant“, michi ille respondit. Mox animo in te conversus, quod illuc te Slechta noster contulisse non multo ante michi dixerat, ane etiam illic condis-
15 disse, quesivi. Annuit ille, cum domum etiam, quam inhabitares, ostendit. Malo hic veluti omine offensus augurari cepi et te quoque secte illi addictum esse, cuius mox etiam cercior effectus, vehemencius sane, michi crede, indolui, hominem alioquin rectum et simplicem periculose infamisque huius here-
20 sis veluti visco quodam implicitum illaqueatumque esse, et imperite plebicule mentita illa, quam pre se fert, sanctitate, ab orthodoxa Christi religione descivisse.

20 Ex eo enim tempore, quo te in Lytomischel cognovi, ita me virtute tua illaque anime simplicitate attraxeras, ut ubi mencio aliqua de te incidit, nunquam te sine honesta aliqua significatione preterire valuerim, maxime vero, cum li-
25 bros divi Hieronimi pluteo tuo inter alios ecclesiasticos bonosque auctores repositos tum casu quodam offendissem. Arbitrabar enim vel eo solo duce nunquam te ad ea, que in fide plerumque dubie occurrere solent, offensurum, sed quicquid erroris vel dyaboli suggestionem, qui in angelum lucis plerumque
30 transfigurari consuevit, tibi incideret, vel perversorum hominum persuasionem, id omne Hieronimi scriptis ruiturum, postquam scilicet tot hereses per eum expugnatas, tot errorum nebulas veluti clarioris alicuius lucis interventu dis-
35 persas, tot denique fidei hostes succenturiatis quibusdam cuneis adversus ecclesiam obstrepentes dispulsos contritosque per eum cognosceres.

Qui tamen licet vivacissimo ingenio polleret, ut qui utrumque, et Vetus et Novum instrumentum, nobis reddiderit, nichil contra, quam universalis sancta ecclesia sentiret, astruere est ausus, nichilque temeraria presumptione no-
40 vum inducere molitus, ut rudes istos imperitosque tue professionis homines modo facere videmus, qui, cum nichil preter superficiem quandam Scripture sacre teneant, omnia ex arbitrio suo constituunt difficillima queque in scripturis temere, et prout in buccam veniunt, diffiniunt, et apostolorum vitam se imitari simulantes hospitalitatis pretextu non nisi avaricie cumulandisque opi-
40 bus student, scribarum et phariseorum similes culicem¹ liquantes et camelum

glucientes, despiciunt magistratus (quibus gerendis inabiles reperiuntur), familiares, societates, communiaque culpant, quoniam villaticis laboribus assueti liberalia studia honestamque voluptatem minime cognoscunt. Hic aliquis, non *ut poeta satyricus inquit* „de grege² centurionum“, sed de fece sutorum aut cerdonum, predicacionis assumit officium. Vagatur per omnium ordinum gradus censorio quodam supercilio, omnia prophana, omnia polluta, letiferique veneni plena concionando, non advertens et divina et ecclesiastica inhibitione predicacionis officium non nisi paucis permissum.

Lege, obsecro, *quid de hoc Lucius³ scribat* „licet,“ inquires, „desiderium intelligendi divinas scripturas et secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed pocius commendandum, in eo tamen apparent quidam layci merito arguendi, quod occulta conventicula celebrant, officium predicacionis sibi usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consorcium aspernantur, qui talibus non inherent. Deus enim, lux vera, que omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, intantum odit opera tenebrarum, ut apostolos suos in mundum universum predicaturos evangelium omni creature missurus eis precepit aperte dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lucem, et quod in aure auditis, super tecta predicate!“ *Et infra:* „Sicut⁴ enim multa sunt membra corporis, omnia vero non eundem actum habent, ita multi sunt ordines in ecclesia, sed non omnes idem habent officium, quia secundum apostolum alios dominus dedit apostolos, alios prophetas, alios autem doctores etc. Cum igitur doctorum ordo sit quasi precipuus in ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter predicacionis officium usurpare. Nam secundum apostolum quomodo predicabunt, nisi mittantur? Cum idem eciam Paulus non ad baptizandum, sed predicandum se missum affirmet et Veritas ipsa preceperit apostolos Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Quodsi forte quis argute respondeat, quia tales invisibiliter mittuntur a deo etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum invisibilis missio multo sit dignior quam visibilis, et divina longe melior quam humana, potest rationabiliter responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus a deo, cum hoc quilibet hereticus astrueret, sed oportet, quod astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi vel Scripture testimonium speciale. Unde cum dominus vellet mittere Moysen in Egyptum ad filios Israel, ut crederent ei, quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, et virgam iterum reformaret. Johannes quoque Baptista speciale sue missionis testimonium protulit de Scriptura, dicens Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam domino, sicut ait Isaias propheta,“ etc.

Vides ergo, mi frater, sacre Scripture testimonio, quam reprehensibiles sint illi, qui in synagogis vestris et conventiculis predicacionis officium sibi temere arrogant et in angulis garrientes in lucem prodire iuxta evangelicum preceptum formidant, novas quottdie hereses cudentes, facies quidem diversas habentes, sed caudas ad invicem colligatas.

Ut igitur pro possibilitate mea his erroribus implicitum absolverem et de precipicio peccati animam fratris lucrarem, hanc ad te epistolam, mi Johannes, scribere institui, ea potissimum attingens, in quibus magis offendi videmini, in cerimoniarum scilicet ecclesiasticarum ritu, dispensacione ordinum, sanctorum feriis et suffragiis, purgatorii penis, et sanctorum ymaginibus. In quibus non consuetum illum scolasticorum morem sectabor ad utramvis partem dif-

90 ferencium, sed perpetuum illum fustumque oracionis textum, in quo et te sepius versatum puto, et quem ipse etiam familiariorem habere sepius versatum puto, et quem ipse etiam familiariorem habere consuevi, ut *secundum Hieronimi sententiam*⁵ simplici stamine verborum fila decurrant pureque sub tegmine apostolici sermonis textura subcrescat. Age igitur, que ex charitate scripsi,
95 equo iam animo perlegas.

Necesse esse ut hereses sint⁶ in ecclesia undeque oriri consueverint et quam periculosa, varia, inconstans Waldensium sit heresis: *Vas electionis Paulus* futurum considerans, quod diabolus fidelium animos in his maxime, que fidei sunt, oppugnaturus esset, necessarium esse dixit, ut in ecclesia hereses forent,
100 ut probentur, qui fideles inveniuntur. Hinc in evangelio *etiam salvator noster* cum variis modis apostolos per dyabolum expetendos dixerat conversus ad Petrum ait: „Et ego⁷ rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.“ Scivit enim fidem omnium virtutum fundamentum esse, ex qua⁸ et iustus viveret, et laborum suorum per virtuosam operacionem celeste compendium perpetuamque mercedem sperare deberet.
105

Nichil ergo mortali homini perniciosius reperiri potest quam cum a fide exorbitans per devia errorum gradi inceperit et a communi sententia opinionum involvi involucris. Hinc enim quotidie tot errorum capita innascuntur, quot hydre illi Herculahee in Grecorum fabulosis hystoriis renata olim produntur. Quid enim cause subesse existimamus tot modo novas sectas in Bohemia et Moravia abortas fuisse, nisi quia in usu communionis sacrosancti Christi corporis et sanguinis universali christifidelium consuetudini sese opponere ceperunt, pro qua tot bella perpetrata audivimus totque phana eversa in hodiernum adhuc diem manifestis ruinis videmus? Nunc tamen ardor ille usque adeo defervuit, ut, pro quibus antehac totis viribus digladiari consueverant, nunc ludibrio et contemptui palam haberi perspiciantur, subortis scilicet novis atque adeo periculosioribus heresibus, ut iam, proch superum fidem, omnia sacramenta abiiciant et solum christiani vocabulum retinentes, ab ecclesiastico ritu, prout cuique collibitum est, in priscorum illorum sectas aberrent,
110 ut his calamitosis temporibus pene tot secte reperiantur quot capita, ita iam occupatis pessimo zelo omnium fere mentibus, ut nichil his iucundius accidere possit quam in librum aliquem incidere, ex quo vel perniciosum dogma inducere aut ad ea, que sciencium conprobanda, sententiolam aliquam veluti in familiarum ipsorum valeant coaptare, qualia sunt ea, que *Lactancius*⁹ de simulacris fabricandis arisque et templis constituendis disseruit, ut maxime verear, quemadmodum in his et aliis religione vana et inconstanti ferantur.
115

Sic nomine christiano deposito vel in Epicuri scholam deficiant, qui providenciam sustulit, vel Pytagore, qui deos revocavit in dubium, vel Dyagore, qui deos et providenciam omnino penitusque exclusit. Et undenam istud, nisi,
120 quia, ut dixi, errore semel admissio difficile ex eo emergere valeant? Non videmus id in Italis quamvis divino prope ingenio excellant, non in Gallis, Germanis, Dacis, Hispanis, et sexcentibus aliis nacionibus, lingvis et populis. Hi enim sub unico crucis vexillo navigantes nullius facile erroris auram subeunt, sed prout Christi vicarius Romanus pontifex themonem direxerit aspirante
125 Christo, in unum omnes salutis portum emergunt. Hec est enim archa¹⁰ illa, que munda olim et immunda suscepit, hec sagena¹¹ ex omni genere piscium impleta, typum olim ecclesie preferens, quae ex bonis et malis in veritate fidei collecta iusto tandem dei iudicio et bonis premia, malis vero supplicia eterna
130
135

decerneret. In hoc igitur mundo veluti salo quodam constituti nichil nobis ex meritis nostris polliceri possumus, veluti professionis tue homines sibi polliceri audent, qui non ex fide, sed bonis ipsorum operibus, quibus se habundare putant, iusticiam dei veluti exigere videntur, non perpendentes *illud apostoli Pauli* „omne,¹² quod non est ex fide, peccatum est“ *illudque rursum* „non¹³ ex operibus iusticie, que facimus, sed ex magna dei misericordia salvos nos fieri“.

„Non¹⁴ sunt enim condigne passiones huius seculi ad futuram gloriam, que revelanda est in nobis.“ At nos ex fide¹⁵ inprimis viventes, si non opera nostra, veluti¹⁶ phariseus ille, deo exprobamur, cum publicano tamen peccatorum nostrorum conscii singuli vel a longe stantes dicimus „Deus¹⁷ propicius esto michi peccatori“, nisi id fortasse dicas fidem vos ex eo probacionem habere, quoniam eam bonis operibus perficere conamini. Ecce igitur, qualiter phariseo illi similes iusticias vestras predicatis, opera vero nostra veluti publicani illius demonstrantes contempnitis, asserentes nichil sancti a nobis prodire posse, quoniam polluti, impii et sacrilegi simus, tamquam deus homines, qui nobis presunt, non homines fragiles, sed angelos et impeccabiles constituisset. Verum qualis, obsecro, vestra est fides, qui nullo iudicio, singulorum passim, prout aliquis ex vobis argucior prodit, opinionibus, eam novam quotidie fabricatis, aliquis sub specie panis verum deum et hominem contineri credit, alius mox ydolatrie hunc arguit herbaceumque deum hunc venerari contendit. O scelus inexpiabile, o intollerabilem blasphemorum hominum sententiam fidem sanctam immaculatam per tot sanctissimorum doctissimorumque virorum secula salvam et integram iam a sutoribus sordidissimis discuti, et que a regibus et principibus eximio cultu et veneracione suspicatur, a fetidissimis mancipiis proteri, in dubiumque denuo revocari! Quis hec, queso, equo animo ferre, quis inoffensa valeat aure audire? Multa, *inquit divus Hieronimus*,¹⁸ in orbe monstra generata sunt, Centauros et Syrenas, ululas et Onocrotalos in Esaia legimus, Job Leviathan et Behemoth mystico sermone descripsit, Cerberum et Stymphalidas aprumque Erimantheum et leonem Nemeum, Chymeram atque hydram multorum capitum narrant poetarum fabule. Cacum describit Virgilius, triformem Geryonem Hispanie prodiderunt. — Nullum sane simile monstrum effingi potest, quod id genus hominum modo non pariat: videbis enim hic Nestorianos, Arrianos, Marcionitas, Pelagianos, Novacianos, Waldenses, et quecunque olim fuere infamis dyaboliceque nomenclature nomina, et tamen se christianos nominare non verentur, cum concordiam sancti nominis rumpant et novis invencionibus inconsutilem¹⁹ Christi tunicam scindere argucii vanis non desinant. Qui tamen si vel leniter pro his corripuntur, exasperamini, vociferamini, iniusteque correptos palam constanterque adseverare haud quaquam veremini, ut in eo nuper visum est, qui ex schola vestra in Olmuncz ob irreverenciam sacrosancte eukaristie virgis est cesus. Non ea fuit, michi crede, crudelitas, sed pietas. Legisti Petri crudelitatem²⁰ in Ananiam et Zaphyram, Pauli rursum²¹ in Helimam, quem eterna eciam cecitate dampnaverat, *quippe cum scriptum sit*²² „si frater tuus et amicus et uxor, quae est in sinu tuo, avertere te voluerit a veritate, sit manus tua super eos et effunde sanguinem eorum et auferes malum de medio Israel.“

Ecce quomodo pro causa fidei eciam sanguinem effundere iubemur! Necessesse est ergo, ut iudex aliquis sit in ecclesia apostolicumque tribunal, quod et erroneos instruat et obstinate in heresi perseverantes iusta animadversione

castiget. Ut enim *Eneas Silvius*²³ elegantissime simul et verissime scribit, „nulla est tam clara tamque aperta scriptura, ut in diversos sensus flecti non valeat“. Traxeruntque sacris ex codicibus ortum omnia, que ab inicio mundi videntur gentis ecclesie usque in nunc scismata creverunt, sed norat hoc futurum Deus. Idcirco, cum per famulum suum Moysen Israelitico populo legem dedisset, quid sectandum quidve fugiendum esset manifesta serie descripsit, sciens tamen futuros esse, qui legi sue dissonos sensus accomodarent, consulturus futuro seculo et obicem positurus heresibus, supremum tribunal in terra constituit, ad quod maiores causas et omnes afferri dubitationes de lege deberent.

Ait enim in Deuteronomio dominus: „Si²⁴ difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicium inter portas videris verba variare, surge et ascende ad locum, quem elegerit dominus deus tuus veniensque ad sacerdotes levitici generis et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, et querens ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies, quocumque dixerint, qui presunt loco, quem elegerit dominus, et docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram vel sinistram. Qui autem superbiebit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel.“

Sic Veteris testamenti sequacibus dominus imperavit, ne quis sua seductus opinione scindere populum peregrinasque religiones introducere posset. Sed nec Christus dominus, nove legis conditor, veritatis magister et salutis inventor, supremi refugium tribunalis omisit: elegit enim Petrum et in Petro ceteros Romane sedis antistites, qui post eius in celum ascensionem vicariatuum tenuerunt et in ecclesia primum locum, cum claves regni celorum illi promisit ac ligandi solvendique potestatem et tandem pasturam gregis commisit, *dicens:* „Pasce²⁵ oves meas.“ Cur hoc, quid tunc opus erat Petrum fieri pastorem, claves regni tenere, principatum accipere, Christi vicariatuum gerere, nisi ut errantes reduceret, ignaros instrueret, timidos roboraret, pertinaces eliminarét, fidelibus subveniret, hereticis repugnaret?

Si iusti essemus ac nostro ingenio verum videremus et sequeremur omnes, neque lege neque principe opus esset. Sed quia insurgunt ingenia perniciosa, que doctrinas pestiferas seminant funduntque venena letalia et occidunt credulas animas, necessaria fuit suppremi tribunalis ereccio, quod inter lepram²⁶ et lepram iudicaret: hoc est sancta Romana et universalis ecclesia, que cardo et caput est, lexque et magistra omnium, que in fide geruntur. Vos vero sub principe tenebrarum nullos errorum tribulos, nullas spinas reciditis, sed utcumque exoriuntur quotidie, longe lateque excrescere permittitis, et remota rationis falce in validius robur perniciosum dogma fulcitis. Ut ergo errorum huiusmodi tenebras clarius intueri valeas, exordium nascentis coalescentisque fidei paulo alcius repetitum equo denuo animo, queso, accipias.

Fidem Christi ab apostolis primum et eorum successoribus institutam esse, et quod are et templa sanctorumque ymagines licite in ecclesia fieri debeant.

Transiturus ex hoc mundo Christus dominus cum fidem novellam nondum plene exedificasset, Paraclitum²⁶ se in brevi missurum spondit, qui omnem²⁷ veritatem doceret quidve discipulos facere oporteat plene suggereret. Imperfectam enim legem adhuc dominus eis reliquerat, sed que per Spiritum sanctum in apostolorum cordibus primum formari, inde vero ceteris per pre-

dicacionem eorum plenius declarari debuerat. Petrus enim primum eciam domino ascendente, *ut Origenes²⁸ probat*, Iudaycos iuxta Moysen ritus servabat, ut qui nondum a Ihesu perdidicisset a legis littera ad spiritum legem transcendere, *uti apostolorum ex Actis didicimus*: „Postera²⁹ autem die iter illis facientibus et appropinquantibus civitati ascendit Petrus in superiora templi, ut oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem eis cecidit super eum mentis excessus: et vidit celum apertum et descendens vas quoddam veluti linteum magnum quattuor iniciis summitti de celo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpenca terre et volatilia celi. Et facta est vox ad eum: Surge, Petre, et occide, et manduca. Tum ille: Absit, domine, quia numquam manducavi omne commune et inmundum. Et vox iterum secundo ad eum: Que deus purificavit, tu commune ne dixeris,“ id est inquinatum. Adverte itaque, quemadmodum ex dictis hisce iudaicos preferat ritus, siquidem Petrus; que munda essent atque inmunda adhuc observabat, quin eciam ex insequentibus demonstratur visione ipsum indignisse qua moneretur, ut Cornelio, qui secundum carnem Israelita non esset, et his, qui secum una versarentur, fidei verba communicaret, ut qui vel ad id temporis Iudeus existeret et pro iudaicis tradicionibus contemptis ceteris, qui extra Iudeorum essent religionem, eciam viveret. Nec secus et Paulus in ea, quam ad Galathas conscripsit epistola, id patefecit: „Prius³⁰ enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcissione erant. Et simulacioni eius consenserunt ceteri Iudei, ita ut Barnabas duceretur ab eis in eam simulacionem“. Ecce igitur quomodo lex Christi non tam institucione ipsius quam observacione hominum tradicionem apostolorum, mox ut evangelizari ceptum est, dispensari cepit, docente id eo spiritu, quam repromissum apostolorum cordibus salvator noster immisit.

„Habeo enim,³¹ *inquit apud Joannem*, „multa vobis loqui, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.“ Quid enim tale dicere his potuit, que ferre non valuissent, nisi quod iactis fundamentis salutis nostre discipulis et eorum successoribus per Spiritum sanctum multa instituenda reliquit, que vel ad religionis cultum vel cerimoniarum observaciones modo inducta institutaque cernuntur? Que tamen omnia a prophanis hominibus veluti ridicula despicuntur, asserentibus templa nulla fieri debere, cum templa dei simus nos, et deus plus cordis nostri cultum exigat quam templorum et parietum ornatum.

Habent hec quidem, fateor, aliquid coloris, quo imperite multitudini imponere queas, sed quam frivole stultequae dicuntur, tam facile eciam validioribus rationibus inteunt. Scimus, quantam olim construendi exedificandique templi in Veteri lege deus curam habuerit qualemque in eo ornando lignorum, lapidum, gemmarum, peristromatum, ymaginum, mensarum, candelabrorumque delectum, ut non alium architectum habere voluerit, quia omnia, prout ipse iuberet, construerentur dispensatis ministrorum, levitarum, sacerdotum, pontificumque ordinibus, sacrificiorum ritu, vestium cultu, hostiarum discrecione. Nonne hec superbie speciem non pre se ferebant inanisque cuiusdam minimeque deo convenientis vanitatis et pompe?

Hec tamen nisi ita ut instituta erant, observarentur, presens mox pena subsequeretur, nullo penitus bono eciam animo sortem ministerii sui transgredi audente, ut de Datan³² et Abyron legimus, quorum thuribilia iussu dei confla-

285 ta sunt, memoriale sempiternum filiis Israel, ne quisquam denuo, qui non es-
 set ex semine Aaron, eiusmodi ministerio se temere ingereret. Et tamen contra
 ea omnia veluti Deo execrabilia minimeque placita *illud Psalmiste David* tui
 ordinis homines obiicere procul dubio potuissent „non accipiam³³ de domo
 tua vitulos neque de gregibus tuis hyrcos. Nunquid manducabo carnem thau-
 290 rorum aut sanguinem hyrcorum potabo? Quoniam mee sunt omnes fere sylva-
 rum, iumenta in montibus et boves. Immola deo sacrificium laudis et redde al-
 tissimo vota tua“, ignorantes, miseri, ad hoc deum materiale hoc templum
 construi iussisse, ut cordis nostri puritatem erga se illic exigit, et ex visibili
 opere nos in admirabilem divinitatis sue pulchritudinem accendat.

295 Ita et modo cum ecclesia sancta catholica templa et aras Christo domino
 constituit cerimoniarumque ritus per Spiritum sanctum in ministerium sacra-
 tissimi sui corporis et sanguinis induxit, quis sane mentis iure id reprehendere
 audeat, quodque sanctorum illic ymagine visuntur, ydolatrie cultum induci
 presumat? Non enim quod eas veneremur quodve aliquid divinitatis, ut ve-
 300 teres olim Jovi, Appollini aut Neptuno, his inesse putemus, illic eas constitui-
 mus; scimus enim metalla lignaque aut lapides esse, sed hoc veluti archetypo
 in Dei et sanctorum memoriam rapimur et ex visibili signo gloriosi triumphi,
 quem fortissimi quondam Christi athlete pro fide insigni pertulerunt victoria,
 identidem admonemur.

305 Scio, quid in eo reniti soleatis, quod *Baruch propheta*³⁴ simulachra eiusmodi
 nonnisi ad sacerdotum luxum conflata afferat, et *Lactantius*³⁵ in fide adhuc
 neophitus contra gentes disputans non ludicra hec et fragilia digitorum fig-
 menta, sed artificem pocius deum suspici et venerari confirmet. Vera essent
 hec omnia, si tali, veluti putatis, veneratione symulachra ea suspiceremus, sed
 310 absit, ut quicquam eorum non dico credamus, sed ne somniamus quidem. Sci-
 mus enim, *ut verbis divi Gregorii utar*, „aliud³⁶ esse picturam adorare, aliud
 picture hystoria, quid sit vere adorandum, addiscere. Neque enim, *ut Lactan-
 tius ait*,³⁷ ornatis et grandibus puppis unguenta, thura et odores inferimus, ne-
 que his opimas et pingues hostias ymmolamus. Stulti enim essemus, et saxo,
 315 ligno, vel robore stupidiores. Sed dei vel sancti alicuius ydolum cernentes
 deum in sanctis suis glorificamus, et ex eorum signis aliquod veluti virtutum
 incitamentum suscipimus, quomodo et veteres olim gentiles factitasse *Salus-
 tius*³⁸ *refert*, „audisse se“ inquit „sepe Q. Maximum, Publium Scipionem,
 preterea Romane rei publice clarissimos viros ita solitos dicere, cum maiorum
 320 ymagine intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi, scili-
 cet non ceram illam neque figuram tantam vim in se habere putando, sed me-
 moria gestarum rerum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque
 prius sedari, quam virtutem eorum famamque atque gloriam adequassent.“

325 Frustra igitur nos, ut cernis, mi Johannes, ydolatrie insimulatis, frustra auri
 et argenti in ecclesiis, splendore et cupiditatis avaricie et arguitis, cum vos, his
 viciis, que reprehenditis, pocius obnoxii videmini, ob hoc forte sumptuosiori-
 bus ecclesiarum edificiis et ymaginibus abstinentes, ne aurum et argentum,
 quod nos pro honore dei largiter exponimus, vos avaricie dediti profundere-
 tis. Quid, quod sanctorum eciam ossa et reliquias ut immunda abiicitis nosque
 330 eas servantes et in ecclesiis in lintheolis et vasculis exhibentes veluti prophano
 et sacrilegos arguitis, quibus tamen non aliis quam *Hieronymi verbis res-
 pondeo*: Nos³⁹ non dico martirum reliquias, sed ne solem quidem et lunam,
 non angelos, non archangelos, non Seraphin et omne nomen, quod nomina-

tur, in presenti et in futuro, colere et adorare, ne serviamus potius creature quam creatori. Honoramus autem reliquias martirum, ut eum, cuius sunt martires, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri et Pauli inmundum sunt reliquie? Ergo Moysi corpusculum immundum erit, quod iuxta hebraycam veritatem ab ipso sepultum est domino? Et quocienscumque apostolorum et prophetarum et omnium martirum basilicas ingredimur, tociens ydolorum templa veneramur, accensisque ante tumulos eorum cereis ydolatrie insignia dicentur? Plus aliquid dicam, quod redundet in auctoris caput et insanum cerebrum, vel sanet aliquando vel doleat, ne tantis sacrilegiis simulacrum anime subvertatur.

Ergo et domini corpus in sepulchro positum immundum fuit, et angeli, qui candidis vestibus utebantur, mortuo cadaveri atque polluto prebebant excubias?

Cernis sane, mi Johannes, quot ex simplicium quandoque perversa credulitate errores sequantur, quantasque rursum blasphemias in deum et sanctos ex polluto ipsorum ore hi vestri archisynagoge deblatterent, et tamen adhuc eos iustificantes ymitatores Christi et apostolorum asseritis et universalem ecclesiam contempnentes horum dogmata tam constanter tamque pertinaciter imitari perseveratis.

De prefecturis et ordinibus ecclesiasticis, quos laicis, quantumcunque bonis, usurpare non convenit, quodve clerici licite temporalia possideant atque a nemine temere iudicari debeant.

Sunt, qui ordines ecclesiasticos ex eo vel maxime impugnant, quod Christus, humilitatis magister, nullos dignitatis gradus in ecclesia instituit, nullosque fascas, nullas prefecturas discipulis administrandas reliquit, sed docere verbum vite in omni humilitate et mansuetudine precepit, non advertentes *verba Salvatoris mugitu Bovis evangelici relata*, ubi discipulis suis inquit: «Nunquid⁴⁰ quando vos misi sine sacco et pera, aliquid defuit vobis?» *Et respondentibus nichil subintulit*: «Nunc⁴¹ qui habet sacculum, tollat similiter et peram; et qui non habet, tunicam vendat et emat gladium.» Quam ergo paupertatem in Mattheo⁴² preceperat, eam temporis successu, ut Lucas refert, relaxavit. Neque enim verisimile est, quod sacerdotes et episcopos circumforaneos quosquam mendicos esse voluerit, quique omni honore vacui fora tantum et frequentia hominum conventicula predicando obirent, quos *Petrus* et «genus⁴³ electum» et «regale sacerdotium, gentem sanctam et populum acquisitionis» appellat, sed humilitatis viam eos Christus docere voluit, ut, quamvis populo christiano presint, mente tamen et animo omnia parvi existiment nichilque arroganter, nichil insolenter vel faciant vel alios facere permittant.

Nunquid enim sub honesto corporis cultu largioreque censu humilitas esse non potest? Neque ergo Job neque Zacheus,⁴⁴ qui dives dimidium bonorum pro Christo pauperibus distribuit, iustus videbitur? Quin etiam videamus, nunquid vos, qui, ut dicitis, Christi doctrinam sectari conamini, renunciat omnibus et nudi et inopes Christum pauperem sequimini? Vidi certe religionis nostre pauperes et pannosos multos, paucos ex vestris, qui melioribus non amicirentur. Vidi rursum multos in auro et purpura humiles, in abiectiore vero habitu adeo elatos, ut ob levem offensam et verba despumarent grandia et

meras detonarent tragedias! Eque regibus et principibus humilitas precipitur, eque omnibus, qui Christi miliciam susceperunt.

Illis tamen preteritis in solos Christi sacerdotes debachamur ipsorumque queque opera discutimus, et, quod divino et humano iure interdicitur, de familia Christi male meriti sub foro eciam et iudiciis nostris mulctamus. Scelus est, *inquit ille*,⁴⁵ et inverecunda protervia, Sare filios, qui de libera geniti sunt, cum ancille filiis in servitutem redigere. Non hec vinea, non hec plantacio, non hec sacio vestra, sed ei, qui eam sibi in titulum domesticamque sortem ascripsit, sui signiferam nominis et dispensatricem celestium thesaurorum gratiarumque vitalium, ius potestatemque assecutam ligandi animas atque solvendi.

Quam vero prepostere et impudenter cum Deo agitur, si, quos iudices vestros ipse constituit, violenter de his vos iudicetis! Hi enim sunt, qui, ubi primum in lucem vitamque editi estis, ab originali culpa tanquam lepra vos purificant beato fonte baptismatis, hi, qui cetera sacramenta conficiunt vobisque imparciunt, hi, qui potestatem soli reserandi claudendique celi hominibus habent, et per eorum labia evangelium ubique refulget. Servate,⁴⁶ que sunt Caesaris, Caesari, et que sunt dei, linquite deo. Sancta sanctorum ingredi prophanis sane non licet nec templi vasa pollutis carne contingere. Currum domini⁴⁷ prolabantem ausus Oza fulcire plectitur morte, pharao⁴⁸ populum dei servicio premens Rubro mergitur mari, Anthiocus⁴⁹ templi dotatus spoliis, cuibus ex omni memoria nil crudelius penas luit, Pompeius is, cui Magno nomen, capta Hierosolima temploque Romanis ydolis et equorum stabulacione polluto ad Egypticum litus recisa cervice fede et miserabiliter in sabulo iacuit, et Crassus collega eum victorem secutus et quibus Pompeius pepercerat templi ornamenta predatum apud Caras Parthorum telis opprimitur. Indigna igitur eorum est presumpcio, qui de sacerdotibus Christi iudicantes temere que volunt, diffiniunt! Populus enim ab eis docendus est et corripiendus, non ipsi ab eo, ne discipulus sit supra magistrum.

Quam sapienter Constantinum Caesarem fecisse hystorie tradunt, apud quem, cum episcopos quosdam nonnulli graviter criminati fuissent protulissentque libellos, neque eos legit neque alios legere permisit, sed presentibus episcopis in omni humilitate combussit, non licere sibi adiciens de his iudicare, quos sibi ministros deligere dignatus esset dominus, et quos modo angelos testamenti, modo Christos, modo eciam deos nuncupavisset, cum Thymotheus⁵⁰ eciam adverus presbiterum et episcopum accusationem suscipiendam prohibeat. O, christianam optimi principis sentenciam! Noverat enim episcopos, quantumcumque flagiciosos, organa Spiritus sancti esse, non ex merito quidem, sed officio. Nunquam Cayphas⁵¹ prophetasset, nisi anni illius pontifex fuisset, nunquam Paulus⁵² veniam a Deo peccasset, quod Ananiam illum sceleratum pontificem post acceptam plagam parietem dealbatum maledicendo dixisset, ignorasse se excusans, quod pontifex fuisset, nisi scriptum invenisset: «Principem⁵³ populi tui ne maledixeris.»

Colendi igitur sunt, observandi, omnique honore et veneracione suscipiendi sacerdotes et episcopi nec boni solum,⁵⁴ sed eciam discoli, quoniam quod deus in ministerium suum perficere voluit, humana temeritas contempnere non debet. Non omnes boni sunt, non omnes perfecti, episcopi tamen illi et sacerdotes omnes atque ex eo iudices nobis constituti, non ex operibus ipsorum, que interdum mala sunt, sed ex officii dignitate.

Nam et David, cum esset adulter et homicida, interrogatus a propheta, sententiam in divitem dedit, qui ovem pauperis rapuit, dicens: «Iudicium⁵⁵ mortis est viro huic.» Item Salomon,⁵⁶ cum amore muliercularum deos gentilium coleret, tamen universa plebs Israelitica ad eius iudicia confluebat, sic et Achab, quamvis coleret Baal,⁵⁷ tamen decem tribus iudicabat. Multi etiam alii tam in Veteri testamento, quam in Novo inveniuntur, quorum vita cum esset blasphemabilis, tamen eorum sententia, quia ex iudiciarii ordinis integritate processit, invenitur servata.

Unde et dominus ait in *evangelio*: «Super⁵⁸ cathedram Moysi sederunt scribe et pharisei» et cetera. Hinc liquido constat, quod mali pastores, dum sententia iusti examinis aliquorum crimina feriunt, sibi ipsis nocent, dum sine exemplo sue emendacionis aliorum vicia corrigere curant, subditis prosunt, si eorum increpacione correcti vel sententia coerciti vitam suam in melius commutare didicerint. «Attendis⁵⁹ Petrum,» *inquit divus Hieronimus*, «sed et Judam considera: suspicis Stephanum, sed et Nicolaum respice, quem dominus in Apokalypsi sua dampnat sententia.» Nec sibi quisquam de corporis castitate ceterisque virtutibus supplaudat, cum de omni verbo⁶⁰ ocioso, quodcumque locuti fuerint homines, rationem sint reddiduri, cum etiam simplex convicium in fratrem homicidii sit reatus.⁶¹ Ve nobis, quocienscumque concupiscimus,⁶² formicamur! «Inebriatus est»,⁶³ *inquit propheta*, «gladius meus in celo»; multo amplius in terra,⁶⁴ que spinas generat et tribulos. — *Vas electionis*, in cuius ore Christus resonabat, macerat⁶⁵ corpus suum et subiicit servituti, et tamen cernit naturalem carnis ardorem sue repugnare sentencie, ut exclamare cogatur: «Miser⁶⁶ ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?» Et tu putas episcopos et sacerdotes irreprehensibiles sine lapsu vivere posse? Prophana opinio et ab omni ratione aliena! Peccavit angelus in celo, homo in paradiso, Judas ex Christi collegio. Quid mirum, si fragilem hominem, in qualicumque officio constitutum, prevaricari contingat?

Video tamen, mi Johannes, quid ordinis tui homines moveat, ut eorum contra nos tantopere gliscat offensio. Hi enim, cum nichil in bonis ducant, quam pecuniaria compendia, que his non nisi labore, cura et sollicitudine (sacerdotibus autem omni penitus labore vacuis) eveniunt, hec tollerare sane absque invidia non possunt, Christi apostolorumque ob hoc paupertatem exprobantes, quod lege christiana omni penitus cupiditati et avaricia et luxui sit interdictum. Miror tamen, cum *Pauli apostoli* adeo studiosi sint, id eos non legisse, vel sicco pocius, ut aiunt, pede transsisse: «Quis⁶⁷ plantat vineam et de fructu eius non sumit, quis pascit gregem et de lacte gregis non pascitur?» *Rursumque idem apostolus*, cum nos spiritualia⁶⁸ seminare dixit, ut temporalia ipsorum metamus, et qui⁶⁹ altari servit, ut de altario etiam vivat. Hoc enim veluti lex Christi non esset, dissimulant, sed quicquid de parsimonia aliisque eiuscemodi dicitur, id omne in clericis Christique ministros intorquent, veluti vobis solis sub humilitatis virtutumque specie fenerari liceat, pecuniarumque aucipium undecumque sectari. Sed ne forte non adhortandi, sed calumpniani habenas in vos laxasse videar, impetum contraham, atque ad alia, quibus pari errore involuti estis, perstringenda accedam.

De suffragiis sanctorum purgatoriique penis

Iam maiore parte dubiorum absoluta superest reliquum etiam, quod de sanctorum suffragiis in ecclesia penisque purgatorii creditur, perstringere.

Scio enim, quam varia de eo inter plerosque disputatio esse solet. Nos tamen, doctorum ecclesie testimoniis omissis, duobus tantum, Veteris scilicet et Nove legis, sententiam nostram firmabimus. Veteris quidem, quoniam *in libris Machabeorum* legitur, qualiter Onias summus sacerdos apparuit Jude Machabeo et ostendit ei Hieremiam prophetam dicens: «Hic⁷⁰ est, qui multum orat pro populo et universa civitate Hierusalem.» Nove autem, quoniam de Paulo *in Actibus apostolorum legitur*, quod⁷¹ cum esset in naufragio cum multis, astitit ei angelus dicens: Ne timeas, Paule, ecce tibi deus donavit omnes, qui sunt in navi.» Ex quibus satis appereat preces sanctorum et nobis proficere ad veniam et ob eas deum nocentes quondoque et peccatores servare.

Sed maior dubitatio de penis purgatorii oritur, an illic etiam animarum corpore exutis sit locus, an elemosine aliaque pietatis opera pro eis in hoc mundo impensa ipsis quicquam vel ad imminucionem culpe aut relaxacionem pene proficiant. Multa sunt, que theologi divinitus inspirati ea de re et libris mandaverunt et fidelium vulgo credenda reliquerunt, sed, quoniam omnem sanam doctrinam abiicitis, nudam tantummodo legis litteram servantes, pauca proferre est consilium, ut epistole prolixitatem claudamus.

Omitto enarrare, quibus rationibus theologi purgatorium esse demonstrant, animabusque illic existentibus vivorum suffragia et preces conferre. Longum id enim foret, et vos preter auctoritatem legis nichil suscipere consuestis. Attende igitur, *quid vel Psalmista dicat*: «Dominus,⁷² inquit, «deducit ad inferos et reducit.» *Idemque rursus*.⁷³ «Verumtamen deus redimet animam meam de manu inferi, cum eduxerit me.» Constat autem ex inferno dampnatorum neminem reduci. Attende etiam, quod de Juda illo fortissimo, Hebreorum Hectore, *Machabeorum testetur hystoria*: Vir fortissimus Judas⁷⁴ «collacione facta misit XII dragmas argenti offerri eas Hierosolimis pro peccatis mortuorum, quia considerabat, quod qui cum pietate dormicionem acceperant, multam haberent repositam gratiam, subdens: Sancta ergo et salubris est cogitacio pro defunctis orare, ut a peccatis purgentur.» Nisi forte apostoli etiam exigis testimonium, addam igitur, *quod ad Philippenses scribit* in nomine⁷⁵ Jhesu omne genu flecti, celestium, terrestrium et infernorum. Planum est autem dampnatorum usque adeo obstinatam esse maliciam, ut hi ad nomen Jhesu nequaquam genua flectant, sed blasphemias potius milleque conviciis lacerent, ut necessario fateri cogare locum aliquem apud inferos esse, in quo piorum anime reponerentur.

Nec desunt etiam nobis gentilium et ethnicorum ad id corroborandum sentencie, sed ut poetas veluti licenciore scribendi genere usos pertranseam, audi, obsecro, quam christiane *Proculus platonius* quamque religiosius quam vos de purgatorii lustracione perscripserit. «Inferorum»⁷⁶ inquit, «loca et iudiciarios sub terra status et flumina, que Homerus Platoque describunt, non est putandum esse ymaginaciones vanas fabulosaque tantum terreculamenta: sed quemadmodum animis celestia repetentibus multa variaque loca illic sunt pro meritis distributa, ita putandum est punicione quoque purgacioneque indigentibus animabus loca sub terris esse disposita, varios defluxus habencia ab elementis circumfusis terre, quos sane defluxus flumina vocaverunt, esse denique differentes ordines huic prefectos operi, partim quidem ulctores, partim castigatores, partim purgatores, partim vero iudiciales. Perterreri vero illic animas consentaneum est ymaginacione demonum prefectorum statuque pro meritis quidem habitibusque vario confusoque et a superis solis radiis segregato.»

Ecce quam consona fidei nostre platonicus hic afferat, vos tamen nichil eorum pensi habentes opinionem quam semel concipitis et creditis constanter et irrevocabili errore vel convicti eciam tuemini, quo, hercle, nil periculosius, nichil a vera religione alienius inveniri potest.

„Sed quoniam“⁷⁷ *ut divi Hieronimi verbis utar*, „de scopulosis locis enavit oratio et inter cavas spumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba processit, expandenda vela sunt ventis et questionum scopulis transvadatis letancium more nautarum epylogi zeleuma cantandum,“ quicquid extra communis ac universalis sancte ecclesie traditionem docetur, dogma pestiferum, dogma perniciosum, et ex dyaboli officina esse profectum, quod, licet virtutum speciem preferat, venenum tamen est et vipperea hereticorum effascinatio. Falsis enim opinionibus decepti tot species habent dyaboli quot simulachra mendacii, ut enim olim ad Adam et Evam, dum eos similes diis futuros dixerat, decipit, ita vos cottidie decipere non cessat, dum in angelum lucis transfiguratus vos similes fore apostolice sanctitati confirmat.

Quapropter, mi Johannes, relicto prophano et imperito vulgo, ecclesie te sancte, oro, redintegra! Habes vividum, florens, facileque ingenium, mores ad omnia ex virtute agenda egregie compositos, facile id igitur capere potes nichil firmum nichilque constans esse, quod in conciliabulis vestris de fide Christi disseritur, ita ut plerunque alia sint Lythomissensium placita quam Preroviensium eaque rursus longe ab illis, que apud vos in Prostanto docentur, diversa. Fides autem nostra, ut in solido Petri successorumque ipsius fundamento consistit, ita nullis cuniculis nullisque devii erroris amfractibus facile suffoditur.

Hec ut ad te scriberem virtus tua me impulit levia, fortasse et deridicula, christiani tamen homini qualiacumque ad orthodoxam fidem invitamenta. Precor ergo, ita et perlegas, ut placeant, id est, ut vanis erroribus modo implicitum ad Christi ovile penitentem reducant. Vale ex Buda, feria quarta quattor temporum Sancti spiritus, anno Christi domini MD seculari.

Explicit tractatus contra heresim waldensium perutilis.

Impressum in regali civitate Olomuncensi per me Conradum Bomgathan anno domini M quingentesimo XXIX die mensis Octobris.

Apparatus criticus

5 Et primo, quod *om.* 1512 — 14 *omine:homine* 1500 — 42 *societates communiaque:societatesque* 1512 — 57 *precepit:preceperit* 1512 — 75 *colubrum: colubrem* 1512 — 93 *pureque:puroque* 1512 — 110 *existimamus:credamus* 1512 — 122 *in librum:in om.* 1500 — 134 *direxerit:duxerit* 1512 — 163 *suspicitur:suscipitur* 1512 — 164 *ferre:ferat* 1512 — 173 *nomenclature:nomen dature* 1500 — 251 *et his:et in his* 1500 — 257 *simulacioni:simulacione* 1500 — 267 *multa instituenda:m.* *in ecclesia i.* 1512 — 275 *ornando:orando* 1500 — 276 *ymaginum:ymaginem* 1500 — 284 *Abyron:A. atque Chore* 1512 — 303 *fortissimi:fortissime* 1500 — 310 *non dico credamus, sed ne somniemus quidem em.:non dico credamus, sed ne firmemus q.* 1500: *non d. tradamus, sed ne s. q.* 1512 — 317 *factitasse:factisse* 1500 — 347 *quot:quod* 1500 — 350 *adhuc:ob hoc* 1500 — 361 *evangelici:evangelice* 1512 — 368 *Paulus* 1500 — 383 *debachamur... discutimus:debacchamini... discutitis* 1512 — 385 *multetamus:multatis* 1512 — 401 *dotatus:ditatus* 1512 — 414 *Thymotheus:ad Timotheum* 1512 — 438 *sederunt:sedebunt* 1500 — 460 *his nisi:his non nisi* 1500 — 472 *aucipium:aucupium* 1512 — 530 *inveniri:invenire* 1500 — 534 *zeleuma:celeuma* 1512 — 541 *transfiguratus:transfiguratos* 1500 — 555 *seculari om.* 1512 — 556—558 *Explicit... Octobris in 1500 tantum legitur*

Loci

- 1 Cf. Matth. 23, 24
- 2 Cf. Persium, Sat. 3, 77 «His aliquis de gente hircosa centurionum . . .»
- 3 Recte Innocentius III, Decretales Gregorii p. IX (= X), 5, 7, 12, Friedberg II., col. 785
- 4 Idem ibidem, col. 786
- 5 Non invenimus
- 6 Cf. 1. Cor. 11, 19
- 7 Luc. 22, 32
- 8 Cf. Rom. 1, 17
- 9 Cf. Lactantium, Div. inst. 1. II., MPL 6, col. 541 seqq.
- 10 Gen. cap. 6—8
- 11 Cf. Matth. 13, 47
- 12 Rom. 14, 23
- 13 Tit. 3, 5
- 14 Rom. 8, 18
- 15 Cf. Rom. 1, 17
- 16 Cf. Luc. 18, 10 seqq.
- 17 Luc. 18, 13
- 18 Cf. Hieronymum, Contra Vigilantium, MPL 23, col. 339—340
- 19 Cf. Ioh. 19, 23
- 20 Cf. Act. 5, 1 seqq.
- 21 Cf. Act. 13, 8 seqq.
- 22 Deut. 13, 6
- 23 Non invenimus
- 24 Deut. 17, 8—12
- 25 Ioh. 21, 17
- 26 Cf. Ioh. 14, 16; 15, 26
- 27 Cf. Ioh. 16, 13
- 28 Non invenimus
- 29 Act. 10, 9—15
- 30 Gal. 12, 12—13
- 31 Ioh. 16, 12—13
- 32 Num. 16, 16—19
- 33 Ps. 49, 9.13.10.14
- 34 Cf. Baruch c. 6
- 35 Cf. Lactantium, Div. inst. 1. II., MPL 6, col. 253 seqq.
- 36 Gregorii Magni Epistula ad Serenum, MPL 77, col. 1 128
- 37 Lactantius, Div. inst. 1. II., MPL 6, col. 271—3
- 38 C. Sallustii Crispi Bellum Iugurthinum, 4, 5
- 39 Non invenimus
- 40 Luc. 22, 35
- 41 Luc. 22, 36
- 42 Cf. Matth. 6, 19 seqq.
- 43 1. Petr. 2, 9
- 44 Cf. Luc. 19, 2—10
- 45 Non invenimus
- 46 Cf. Matth. 22, 21; Marc. 12, 17; Luc. 20, 25
- 47 2. Reg. 6, 4—8
- 48 Ex. 15, 21 seqq.
- 49 Cf. 2. Mac. c. 9.
- 50 Cf. 1. Tim. 5, 19
- 51 Cf. Ioh. 12, 14
- 52 Cf. Act. 23, 3—5
- 53 Ex. 22, 28
- 54 Cf. 1. Petr. 2, 18
- 55 Cf. 2. Reg. 12, 5
- 56 Cf. 3. Reg. 11, 1—13
- 57 Cf. 3. Reg. 16, 29—33
- 58 Matth. 23, 2
- 59 Hieronymi Epistulae, CSEL, ed. Hilberg, ep. 14, 4, p. 57
- 60 Cf. Matth. 12, 36

- 61 Cf. Matth. 5, 22
 62 Cf. Matth. 5, 28
 63 Is. 34, 5
 64 Cf. Gen. 3, 17
 65 Cf. 1. Cor. 9, 27
 66 Rom. 7, 24
 67 1. Cor. 9, 7
 68 Cf. 1. Cor. 9, 11
 69 Cf. 1. Cor. 9, 13
 70 2. Mach. 15, 14
 71 Cf. Act. 27, 23—24
 72 1. Reg. 2, 6
 73 Ps. 48, 16
 74 2. Mach. 12, 43. 45—46
 75 Philipp. 2, 10
 76 Procli Diadochi in Platonis Rem publicam comment., ed. W. Kroll, Teubner 1899, I, p. 121, 24—122, 15
 77 Hieronymi Epistulae, CSEL, ed. Hilberg, ep. 14, 9, p. 59

AUGUSTIN OLOMOUCKÝ — TRAKTÁT O SEKTĚ VALDENSKÝCH

O listu Augustina Olomouckého lékaři Janu Černému ze 3. června 1500, nazvaném „Tractatus de secta Valdensium“, který zde vydáváme, lze najít základní poučení včetně knihopisných údajů v Rukověti humanistického básnictví v Čechách a na Moravě I (Praha 1966), na str. 113—114. List byl tištěn jednak v Olomouci hned v r. 1500 a pak spolu s dalšími texty, vztahujícími se k Augustinově polemice s naukou Jednoty bratrské, v souboru vyšlém v Lipsku r. 1512. — Za základ naší edice jsme vzali prvotisk z r. 1500 (GW 3061); na několika místech, kde je jeho text nejasný, nesrozumitelný nebo zjevně chybný, byl srovnán se čtením lipského tisku z r. 1512. Literární činnost Augustina Olomouckého jakožto přední postavy latinského literárního humanismu své doby na Moravě bývá řazena především do humanistického kontextu. Ve vydávaném „Traktátu“ se tento autor jeví jako účastník ideologické diskuse mezi katolicismem a českou reformací. Má tedy vydání tohoto textu hned dva dobré důvody: „Tractatus“ je totiž jednak ilustrací druhé, méně známé stránky Augustinovy literární činnosti, jednak je dokladem toho, jak se některé základní teze husitské reformace vyvíjely a jakou úlohu měly sto let od svého vzniku a prvních formulací.

